

Lobrede auf Heilige

II

(21)

SALESIANÆ VIRTUTIS  
apex cœlestis, Basis terrestris  
INSAL, & SOLEIV  
feu  
S. FRANCISCUS  
SALESIUS

Præsul Genevensium Apostolicus  
è Tertio Ordine Minimorum S. FRANCISCI  
DE PAULA.

*Sal Terræ, Lux Mundi*


*Divinò Intitulatus præconiò.  
dm̄ permistis naturæ, & gratiæ vicibus*

*Sale Doctrinæ Populos Illustrans.  
Luce Exempli Doctrinam condiens*  
In Ecclesia sui Ordinis ad S. Salvatorem RR. PP. S.  
FRANCISCI DE PAULA Minimorum.

*Coram Auditorio Academico, Die 29. Januarii  
Anno MDECXVII. anniversariò Pane-  
gyrico propositus.*

Perorante  
P. ANTONIO GLOBITZ, Societatis JESU Religiofo.

*1823 26*  
*1823 26*  
*1823 26*  
*1823 26*



Univ. Bibl.  
München

HONORI  
ET  
VENERATIONI  
ILLUSTRISSIMI  
DOMINI DOMINI  
ERNESTI  
JAROSLAI  
S. R. I. COMITIS

A  
Schützen & Leipoldsheimb  
Domini in Benatek, Zitolib, & magno  
Bezno. Sac. Cæs. Regiæque Majestatis Consili-  
arii, Camerarii, nec non Judicii Feudalis & Came-  
ratici in Regno Bohemiæ Assessoris.

DOMINI DOMINI  
PATRONI  
VENERANDISSIMI.

ILLUSTRISIME  
DOMINE DOMINE  
COMES.



*C*œlum & terram Domui TUÆ inferimus Co-  
mes ILLUSTRISIME. adeo ampla est, & illi a-  
mata, & illi cognata. Cœlum in apice, terram  
in basi, utrumque in SALESII nostri præconio: quod Tel-  
lurem penetrat, adeo fundatum: & astra transcendit, a-  
deo sublime: sed totum TUUM. TUUM inquam: non  
quia deferimus, sed quia præfers: TUA, TUÆque Fami-  
liæ, parû dico ILLUSTRISSIMÆ basis in terra est, & pro-  
fundissima: hæc eternabit; apex in Cœlo, & sublimissi-  
mus: hoc dudum eminet. Implevisti terras majori me-  
ritorum & præconiorum, quam stemmatis diffusionem. Si  
tamen majori: cum meritum & præconium adeo stirpi  
TUÆ sint agnata, ut unita. Togâ & sagâ eminuisti, Mar-  
te & Arte gloriosi: in sacris & profanis claruisti, Rem-  
publicam & Ecclesiam illustrantes. Superastis suadâ &  
Musam gestis, & dum præclaris facinoribus extorsistis Her-  
culi clavam: ne sat laudari valeatis, eripuisti & Home-  
ro versum: & nobis eloquium, nisi quod cœlum ipsum sug-  
gerit in SALESIO. Et hic quidem Prædecessorum TUO-  
RUM

RUM est index : sed Tuum compendium. Multorum  
 Claritudine præcedere oportebat, ut in Te decora omnia in-  
 fluerent ILLUSTRISIME. Hic basis terrestris : a Magnis  
 es, sed hic apex cœlestis : Magnus Ipse es, nec potes, nec vis,  
 nisi cum Cœlitibus laudari. Quantus Virtute & Sapi-  
 entia TIBI utraq; Domestica : quantus meritorum esti-  
 matione & bonorum omnium expectatione, progressus ma-  
 lumus & subsellia, quam vel oracula loqui. Excelsa TI-  
 BI spondent gentilitiæ stella TUÆ : ad alta collimat Ar-  
 citenens : Volare TE cupiunt Profapia Alites : & Leones a-  
 viti sibi in Boemia præsidere. Quid in his non cœleste ?  
 è zodiaco omnia aut defluxere, aut in zodiacum influxere,  
 Ibi apex Elogii TUI cum sole, quia hic basis meritorum  
 cum sale. Ubique fulges, quia omnibus sapis. Hoc &  
 SALESIIUS merito proinde nobiscum TUUS. Ille Apice  
 TUO adornari cupit Sacerdos Magnus : Nos ad basim Utri-  
 usque Veneratores provolvemur. Patere igitur Comes IL-  
 LUISTRISIME, Panegyricum SALESIIANUM esse & TU-  
 UM : si tenuem a donantibus Minimis : Illustram a materie,  
 & Magnum a TE. Patere Minimos Magnitudini TUÆ  
 obstructos hodie accidere : & qui alias suavissimam TUI no-  
 bis prælicuisti Orexym, jam quoque ILLUSTRISIMOS  
 TUOS asperge radios, ut habeat, unde refulgeat.

ILLUSTRISIMO NOMINI TUO

Devotissimus

Conventus Minimorum S.

Francisci de Paula.



# PANEGYRICUS.



Um olim in terris versantem,  
 nunc in Cœlis effulgentem : inde in E-  
 piscopatū sublimatum, hinc in Minimo-  
 rum Ordine humilem : jam doctrinæ ra-  
 diis orbi conspicuum, jam virtutum ex-  
 emplō proficuum omnibus, mutuata ab  
 Evangelicis Ezechielis animalibus oculorum plenitudine pe-  
 nitiūs contemplor SALESIIUM ; merum in axe fulgorem, qui  
 & Phoebos deumbret ; merum in terris saporem, qui & in-  
 sapientes condiat : merum in infulis jubar, quod & orna-  
 turas illas venustet ; merum inter minima mundi Minimo-  
 rum Salem ; qui cunctis præficiat : merum in sapientia lu-  
 men, quod antevertat vel Apollines ; merum in virtuti-  
 bus condimentum, quod gustum & orexym alliciat : Sa-  
 lem & Solem, utroque incorruptum, utroque universalem,  
 utroque omnibus omnia factum conspicari, & delibare mihi vi-  
 deor Auditores. Quid enim ? dum pellucidam inter  
 cœli Crystallos SALESII disquiro fulgorem : Lucem video pri-  
 mæ Magnitudinis eò majorem, quò Soli Theandrico propi-  
 orem ; ut autem inter crudas orbis dissecti partes, inter in-

falsas soli cupedias sitibundum SALESII obstupesco ardorem, Salem percipio, salutare terræ condimentum, tantò sapidiore coelo paraturum epulas, quantò ardentius inspidam orbis rimari ardet cruditatem. Dum in mansuetiorum Musarum choro Luciparum Claromonti suspicio Apollinem, illustratam à Cleantheo lumine Sorbonæ violam, clarissimum, Patavii Phosphorum, eximiam Lutetiarum Lucem, radiantem in tiara Genevæ Sanctitatem: Solem contueor eò fulgentiorem, quò illustriorem; Ubi autem diffuso corruptæ mortalitatis Carcinomati incorruptam SALESII operam medicari video: Salem exerior, pretiosum (a) *natura balsamum*, eò integriore à tabo servaturum animos, quò excellentiùs salutifera acrimoniæ suæ suavitate à vitiata putredinis labe immunes servare studet patientes. Dum in sterilem cæteroquin virtutum gleba, satore SALESIO, uberem messis admiror fecunditatem: Solem intueor, eò fecundiorum in fructu, quò facundiorum in verbo; cum verò locupletem vitiorum ubertatem, non sinè luctuoso averni gemitu intragiam orco abire video sterilitatem; Salem concludo SALESIUM toties uberiore virtutum procurantem Genesim, quoties sterilibus semen commiserat arvis. En SALESIUM Solem, SALESIUM Salem! non humi repente duntaxat tenuioris etymologiæ inumbratum: seu allusione; seu lineamento: sed in fastis celatum Evangelicis, in fidei sublimatum mysteriis, in Verbi Increati reconditum arcanis; ubi veluti è præfago Delphorum tripode, ità Divino firmatum oraculo, Evangelicâ hominis alati exaratum sepia, de SALESIO tam commune quam proprium profunditur vaticinium: *Lux mundi.*

(a)  
Anselmus  
Boethus l.  
de lap. c.  
302.

(b)  
Matth. 5.  
v. 13.

(c)  
Sylveira to-  
mo 2. l. 4. c.  
11.

(b) hac Apostolici effulgent Sapientes: *Sal terræ* hoc Evangelici sapiunt animarum Zelatores. At at! quod hic paradoxum? quæ sympatica lucis & salis in SALESIO unio? *Sal quid vile, & abjectum, Lux quid excellens, & nobile:* (c) Si terrigena SALESIIUS? quomodo in superis domorū coelestium culminabit subcellis? si SALESIIUS cavernosâ Salinarū tumulatus caligine, quomodo diurnam Zodiaci describet peripheriam? si fossile Ille terræ plasmâ, quomodo immensò luminis

minis oceanò temulentos reddens astrorum nitores siderum Princeps audiet? Sphingem hic enim involvimus, ad quam & Lynceus ipse nititur, & peritior ipse hæreat Oedipus. sin verò Coelicola SALESIIUS? quomodo illum umbrò terræ velabo sipario? si *solis inardescens radiis, longèque resurgens,* (d) quomodo opacis rupium compingam promptuariis? si fulgidissimus Ille firmamenti Dux, & vita universi, quomodo tenebrò subterraneorum fossilium inhærebit latibulo? Gordiò hic innodari metuo, cui nec suppetat Alexander. Aut ergo SALESIIUS Sol, & Salis destituitur virtute; aut SALESIIUS Sal, & Lucis non gaudet prærogativâ. Imò verò SALESIIUS & Lumen est, sed terrestre; & condimentum est, sed coeleste; & Sal est, sed illustrans profusus sapientiæ undequaque radiis; & Sol est, sed virtutis condens sapore universa; & Sal est Minimus Minimorum, sed non absque jubare; & Sol est Episcopatus fulgoribus, sed non sinè sapore. Et hoc est, quod hodie in argumentum assumere Panegyrici, & ab umbra revocare in Lucem, imò Lucem in umbra intendo Auditores: cum dicere de SALESIO nequeam omnia; dicam, quod summè universale: Lucem in Coelis, Salem in terris: quin Salem ætheris, lucem Telluris. Et si *omnibus*, Ille *omnia* Diviniore Vaticani Oraculi præconio, non ego. Vobis PP. RR. aspergam Lucem: Vobis AA. Lectissimi inspergam Salem. Vobis Religionis Luminaria, quanquam è cimeria mundi excessistis caligine, Ille Lux mundi; Vobis Académice fulgor, quanquam terrena non sapia-tis, SALESIIUS proponetur velut Sal terræ. Bellè profectò! si & per me luxerit, & sapuerit. Non obscuritatis notam mea expavescet oratio, dum Luce Ejus illustrabitur; non metuet dissipere, dum hoc incorrupto Sale condietur. Favete.

(d)  
Virg. 8. Æ-  
neid.

Lux mille artifex ille universi Apelles, æthereum Apollinis germen, pretiosa naturæ pupilla, amoenior colorum Proteus, oculorum illicium, beatitatis proscenium, creaturas inter primigenia, sic quanquam terrarum hospes, peregrinas ducens è sublimiori regione colonias, non earum tamen

tamen, sed coelorum est porphyrogenita; partusque illustrissimus. Faceffe Logodædala figmentorum Poësis! umbrosa apage fabularum natrix, errorum architecta! in vanum Clarios, & Cynthios Phœbi substernis Montes cunabulis, cujus festivus splendor augustos è coeli domibus natales duci indigitat. Errones sunt oculorum Heliades, dum in præruptis Idæ, vel Oetæ verticibus seu oriri, seu occidere coelo progenita arbitrantur sidera. Coelum lucis patria est; hæc in Zodiaci Appia, omnium obvia sensibus, primas nanciscitur fascias, hæc vitales in astris hausit auras, ibi orsa vivere, ubi radiare. Quodsi Telluris nonnunquam spectetur inquilina, non nisi Prometheo faciem ætheri suffurante succensos terræ invisit sinus: nè, quæ aliàs nec cæcis invisâ, cognatam humo aspernari videatur humilitatem. Ubi igitur SALESIANI Luminis illustrem hodie inquiram ortum? ubi ejus reperero incunabula? qui plebejum exosus horoscopum non jam luci datus, sed lucis radiis jam illustratus effulserat, antequam nasceretur? terræ nè arcibus natales SALESII, an coeli adscribam regiæ? Coelestem enim vero afferam SALESII ortum, Lucinâ non modò obstetricante, sed pariente: dum antevententia nascendi tempus *septimi* (e) à conceptu mensis genethlia, non terræ hunc partum, sed coeli, non naturæ esse loquuntur, sed gratiæ; ut vel indè orbi pateret, quàm *intaminatis* etiam excusò naturæ jugò *fulgere* properaret *honoribus*. (f) Et sanè: tantum quippe in ipso vitæ radiavit diluculo, ut ubi reliqui exitiales noctis inveniunt tenebras; Ipsi sudum diei effulserit, & altissimum quoddam lucis solstitium: nisi augem pro incremento malis nuncupare. Referant, per me licet, sua inter commenta pigmentarii veritatis Mythologi, ipso in Oceani gurgite solem diurno à pulvere ac fudore frontem eluere; à SALESIO Sole id alienum est: cui vix aliqua, purpuratò Baronii oraculò à Protoparente *contracta inhaesit macula*, (g) quæ Néptuni spongiam, aut Thermas Baptistismi deposceret piaculares. Exorere illustri orbis Phosphore SALESII Divinissime! exorere Sol maculas exose, generis

(e)  
Maupas du  
Tour in vita  
p. 1. c. 6.

(f)  
Horatius.

(g)  
Ex vita p. 3.  
c. 7.

ris humani veriores præ Tito, Gordianoque deliciæ! exorere! nullæ jam Luci tuæ fatales Te obumbrant nubeculæ, nullæ circumstant tenebræ, sed potius tuis afflati radiis, novi mecum Memnones in tua vocales solvuntur præconia, primæ tuæ serenitatis præsagi cultores. Adèd fulgidissima Lucis puritas omnes SALESIANI animi recessus occupavit, ut nè quidem nævi alicujus superesset vestigium, qui contaminaret: adèd jus integrum sibi vendicavit splendoris pulchritudo, ut vix atomus alicujus labeculæ reperiretur, qui fulgentibus Ejus radiis oberraret: adèd in primo sui ortu fulsit, sed se Ipso; adèd luxit, non sibi: adèd omnes, & omnia illustravit. Bonum omen! ubi innubis ortus præsignat orbi daturum diem suæ serenitati concolorem! Scilicet: *nube solet pulsa candidus ire dies*. Huic præludit serenitati, ut fidem conciliet SALESIIUS sol, à tenero ætatis flore emicantibus scintillans radiis: cum medium ad axem sua jam libraret vestigia ad fontes consedit Claromontanos, (h) Luminis claritatem à cognomini hausturus scaturigine. Verùm eo jam tunc infulsit lumine, ut potiori ab Eo fontes ditarentur splendore, quàm Ille ab hausta fontium dote Diaphana usquam potuerit collucere: imò non consedit, sed ut velocior ad meridianum ascenderet, celerrima Lucis suæ agilitate decurrere coepit eclipticam, nè in illa quidem ullam splendoris passurus eclipsum, etiam quandoque opacis nubium velaminibus fulgoris sui Majestatem concredere non abhorreret. Fræno Isocratis egentem in Ludo tum sapientiarum virtutis Theopompum dixisses, literarum pietatis olympia transvolantem; nisi & palæstram Ejus, & Natales è terris in æthera sublimatos, refringentes à lumine radii palam fecissent. Hinc quisquis in SALESIO suos defixit oculos, fulgurante percutus splendore, Lumen videbat, fulgidamque Virtutis se ipsa arridentis bracteam, (i) quàm intuentem se pupillæ aciem ad illimis sequelam vestigii perstringeret, illustraret, & serenaret. Verùm si Virtus in sole nitens, si sol in virtute potens: parvi pendenda esset radiosa Solis Majestas, quæ simul thaumaturga sua virtute

(h)  
Ex vita p. 1.  
c. 4.

(i)  
Ex vita p. 1.  
c. 3.

(k)  
Lucanus

in diversis terræ penetralibus, ad fæmentis naturæ exigentiam non operaretur: vili tenendus Virtutis splendor, qui solis æmulus simul aliis non ferret: cum *Luce salutem*. (k) Aded illustre SALESII lumen non modò fulgidum sinè cancro in auge rutilabat, ut indigestas Salis portiones cum Phœbo in montium excoqueret visceribus. Verùm & salis obibat munia, insulsa orbis plasmata non minùs condientis, quàm irradiantis. Lynceus illè Naturæ speculator Plinius, ubi è sublimiori suæ speculæ Orchestra adusque Arabiæ Carrhim

(l)  
Plinius de  
nat. hist. lib.  
31.

(l) oculorum jactu, & saltu prospexisset; Salarium conspexit portentum: cum salem & defodi in fundamenta, & affurgere in muros, & firmari in propylæa, & sinuari in arcus, & insterni in Asarota, & fulgere in stragulis, & amicare in peripetasmatis, & fulcire in trabibus, & integri in laquearia, & acuminari in tecta, in ædem demum veluti rupe excisam coaptari obstupuisse. Haud absimile Sabaudix portentum, Domum dixero SALESIORUM, è qua primas naclas fascias, Lumene dicam, an Sal FRANCISCUS toti facile orbis prodiit demirandus. Nomen ipsum saporem loquebatur, inclinabatque ad Sapientiam, ut cum sive ad Aristotelis evectus violam epomidatus, (m) sive ad Juris sublimatus claritatem galerò coronatus, sive ad Theosophiæ abruptus sublimitatem, palliò & torque adornatus accederet, Palladem omnem, & Justitiam illustri Salis Domui faceret domesticam. Portentosa hujus salis structuræ SALESIUS erat Sol, illa solis condimentum: Ipse illustrabat, illa conservabat: alter alteri incorruptionem aspirabat. Fecerit licet Salum Euripi insulsum Stagyritem: SALESIUM Virtus creavit sapientissimum; sint licet sales opacis montium consèpulti tenebris! SALESIUM tamen fecere clarissimum; densentur licet salares acervi in cumulos, SALESIUM nihilominus fecerunt subtilissimum.

(m)  
Ex vita P.  
1. c. 6.

(m) sive ad Juris sublimatus claritatem galerò coronatus, sive ad Theosophiæ abruptus sublimitatem, palliò & torque adornatus accederet, Palladem omnem, & Justitiam illustri Salis Domui faceret domesticam. Portentosa hujus salis structuræ SALESIUS erat Sol, illa solis condimentum: Ipse illustrabat, illa conservabat: alter alteri incorruptionem aspirabat. Fecerit licet Salum Euripi insulsum Stagyritem: SALESIUM Virtus creavit sapientissimum; sint licet sales opacis montium consèpulti tenebris! SALESIUM tamen fecere clarissimum; densentur licet salares acervi in cumulos, SALESIUM nihilominus fecerunt subtilissimum.

Ea est Salis & Lumini communis prærogativa, ut seu cognata utrique, seu subarrhata sit incorruptio. Lumen ab incorruptis prognatum sideribus, quanquam generatio-

nem

nem noverit, quod omnia perspicit, corruptionis attamen incium, ignorat contrarium, nescit antitheta, quibus impugnetur. Etiam corruptissimæ fimeci, mephyti, (qualiorive illapsum inquinari nequit, aurei nescit jacturam splendoris, neque corruptelæ sandapilas, & funalia expavescit. Salutare Salis Alexipharmacum, incorruptionis desideratæ tam mirum, quàm connaturale remedium, quidquid affèrgit à putore præservat, quidquid contingit, à tabo emundat, quidquid atrectat, à fænie separat, quidquid delibat, in incorruptam condit stabilitatem. Ità Lucis, & Salis, seu prodroma, seu pedisequa, Comes certè individua est incorruptio. O! cor, & amor universi Lux! quàm brevis dictu, tam agilis jactu: Divinitatis aded, Lucisque illius increatæ, genuina seu soboles, seu Ectypon! Tu beneficium illud orbis jubar es, quod in omnia splendoris sui diffundit claritatem: sed sinè detrimento purissimum. Tu celebris ille universi Apelles, cui nulla dies sinè lineâ pulcherrimis cuncta distinguens lineamentis, inumbrans maculis, sed absque macula intaminatus. Tu operosissimus ille naturæ inspector es, omnia contingens, sed sinè contactu integerrimus. O! Sal impretiabile naturæ Opobalsamum! Sis licet vitalibus terræ tumulatus visceribus, vivis tamen, dum viventibus pro anima insufflaris, & condimento. Sis licet humi irrepens, aut humò ipsa superpressum naturæ oblivium, erigeris tamen, dum pretiosum incorruptionis præbes antidotum. Sis licet physicum juxta, ac typicum sterilitatis opprobrium, specioso nihilominus signaris caractere, dum omnium, quibus jungeris, servator es, ea in pylam etiam candidaturus ætatem. Sed etiam erratum est: neque Sol, neque Sal, quamvis mundanæ universitatis uterque pretium, nondum ille, nondum veram SALESII vel figurat imaginem, vel tangit umbram; fulgidus equidem lucis radius vel minimam corruptionis ignorat maculam, à se nihilominus irradiata, proli dolor corruptit, & intabidum resolvit putorem. Sal; Saluberrimum equidem orbis robur, & roboris firmamentum

cun-

cunctis incorruptionis instillat medelam, is ipsis tamen, pro pudor! negotio nullo diffuit, & corrumpitur. SALESIIUS utroque superior, quantumvis & sanctitatis radiis quæquæ condiat, & sale illustret sapientiæ; quanquam & Lux, ipsam usque adeo illuminans caliginem, & sal ipsam usque adeo saporans sapientiam audiat; uti corruptionis suæ nescit vel labeculam, ita & alienæ, quam incorruptis lucere fecit splendor splendoribus. Virginitate illibata cum Ipse effulgeret, foecundâ eam orbi ingeneravit efficaciam utilitate, at partheniæ: dum nec generationem novit, neque corruptionem *casta generatio cum claritate.* (n) Te Te appello Latii delictum, Divinioris Palladis Sacrarium, Marchia Anconitana! quam gestientibus, tuo in Laureto pretiosum SALESIIANÆ incorruptionis spectasti pupillis cimelion? Nunquid inter Daphnes genimina, Lauros perennè virentes, laureatum Virginitatis in FRANCISCO symbolū seu invenisti, seu hausisti? In fuga quasitura Daphne salutem, ipsos metuebat Mauros Apollines, nè quam Memnoniam sibi Virginitatis notam aspergerent: mutatâ formâ laurum induit, quâ coronata pulchrius post partam effugio victoriam decantaret Epinicion Virgo Laureata. Ut SALESIIUS illibatæ Virginitatis incorruptum conservaret virorem, depalcentem fugiens æruginem Lauretum petiit, (o) ubi gloriose metamorphosi imutatus spectaretur in laurum, nec frigoris, nec ardoris violentiâ corrumpendâ. Hoc in Daphne Phœbus, hoc in SALESIO lux fecit, sed salem decoquens, ut saperet vel illibata. Sic *viret semper laurus, nec fronde caduca carpitur.* (p) Hac redimitus tempora Lauro SALESIIUS, ubi ubi virentis Virginitatis decoctores Syrios persensit, aureas ibi victorias metebat, & triumphos; neque de triumphalibus dubitabat adores, quando viærices Lauretum geminata illa messe, in qua *messores Angeli* sunt, lauros promittebat. Jungite jam SALESIO jungite à Boeotia lacu furentes Epicuros, (q) & vel viroris incorrupti odore efficiet Hypopolitos. Date SALESIO è Cypro fontibus temulentas Cythereides, & vel laureâ suâ umbrâ transformabit in Penelopes, Laure-

Laureatus castitatis propugnator. Adeo Ipse incorruptus, nec alios à putido Cypridis Cacoëthe passus est corrumpi. Humanò majus de SALESIO historiographi est testimonium: *omnia quæ fecit, spirasse incorruptionem.* (r) Spe-  
 ciate hic acutiores Argi, si tamen quid Angelicum spectari potest, Angelum spectate SALESIIUM, hoc unò disparem, quod virtute, non naturâ incorruptum. Liliatum idcirco Henrici quarti loquitur oraculum: (s) *Omnes Angelorum dotes SALESIIUM unum complexum fuisse.* Non miror amplius mixta Vaticanianò odiò aconita (t) innoxie delibasse SALESIIUM: quia quod incorruptum; intactum; etsi tangi potest, corrum-  
 pi non potest. Non miror ultrà, quòd spiritu in supremam Lucis metropolim abreptus alias inaccessum Trinitatis individua (u) Lumen accesserit: Litigium siquidem hic non moratur Angelos & Angelicos: *Angeli semper vident faciem Patris, qui in cælis est.* (x) Non miror amplius Philotheam ejus, plenum spiritu volumen, coronatò Angliæ Regis Jacobi effatò *Angelos, & cælum sapuisse;* (y) incorrupti prærogativa falsi Illum in cœli sublimavit municipatum. O speciosum incorruptionis exemplar, SALESII integerrime! e-  
 differe amabo! quidnam pretiosi muneris in Virginei Laureti intulisti thesaurarium? quid retulisti? nunquid *paçtum Salis, Mosaicum paçtum sempiternum* (z) inibi iniens, perenni illud firmasti Sacramentò? nunquid purissimas è fonte falsi hausisti scaturigines? Parthenium fortasse, quin nec ambigam, SALESIO infusum metrum: quali gemelli appetitus concupiscitivi, & irascitivi, Virgineum calcaret frœnum; *mites fac & castos.* Ab ortu ad occasum prospicite, totum indigetis curriculum expendite: quid SALESIIUS? merus Castitatis cum Luce odor, mera liliorum cum sale fragrantia: Sic vixit; quodsi penitior intima à morte perferutor Anatomus, fellis nè locum reperio, (aa) SALESIIUS mansuetudo ipsa est, sinè adurente luce, sinè sale columba: sic obiit. Dicitabat Ille, & quid dicitabat ajo? & factitabat haud infrequens: si erutos sibi ab inimico oculos (bb) Numen restitueret per prodigium, his citra prodigii violenti-

(n) Sap. 4. r.

(o) Ex vita p. 2. c. 7.

(p) Ovidius.

(q) Ex vita p. 2. c. 7.

(r) Ex vita.

(s) Lanovius.

(t) Ex vita p. 4. c. 9.

(u) In vita Gal. Christ. to. mo 2.

(x) Math. 18. v. 10.

(y) Ex vita p. 4. c. 14.

(z) Num. 18. 19.

(aa) Ex vita p. 1. c. 11.

(bb) Ex vita.



lentiam hostes se intuiturum tantò benignius. O ! em-  
 pyrium mansuetudinis lumen, cum Luce, sinè sale. Pe-  
 nè acroama accinuerim emphaseos impotentia ex Oratore  
 Vates : *Numen corporeo si posset Lumine cerni* (cc) connivente  
 Theologo : *His oculis Numen cernere dignus erat*, sic mitis. At  
 enim ita Virginea occultabat lumina, ab occultando si non de-  
 ducta ante, jam deducenda, ut Ei pro ciliis verecundia,  
 pro palpebris modestia, pro pupilla esset integritas, omni-  
 umque Lumen exemplare foret, & manifestum, etiam dum  
 occultans ; *his oculis Numen cernere dignus erat*. Sic castus. O-  
 mnibus unò aspersit salè, dum ad incorruptionem provo-  
 cavit Ipse incorruptus : alterò nemini, dum nemini mole-  
 stus, arrosit neminem. Arvis Pelusiæ contermina tel-  
 lus, ubi è diverso foecunda assurgit partu, etiam salè in-  
 ter sua concludit viscera, (dd) qui dum in sua specu latet  
 absconditus, vel unam atomum adæquat levitate, ut au-  
 tem patentes solis excipit radios, haud credibili pondere in-  
 gravescit. FRANCISCUS sal licet terræ audiat, nullibi tamen  
 levis semota levitate licentiosa : imò nemini uspiam gravis,  
 propulsata gravitate onerosa. Lux ergo cum salaria Vir-  
 tute sibi SALESIIUS, Lux quoque aliis ; maximi quidem pon-  
 deris, si valorem : nullius porrò ponderis ; si spectes bi-  
 lancem. Avernaliibus tumultata tenebris Nobilior Europæ  
 portio inhorruerat, pulsæque auræ morum integritate, in  
 ferream irriguerat ætatem : Steterat pro aris impietas, pro  
 judiciis iniquitas, pro thalamis impudicitia. Suppresserat  
 libido continentiam, fallacia candorem, virtutem vitium,  
 quæ palliabat, quæ deprimebat. Et en ! ut primùm SA-  
 LESIIUS super horizontem Europæum radiis Lucis suæ corusca-  
 re cœperat, mox rigescencia in glaciem pectora, in lacry-  
 marum resolvit diluviùm, auream Europæ reduxit ætatem,  
 aris pietatem, judiciis æquitatem, thalamis restituit pud-  
 orem ; propulsatâ cupidine firmavit continentiam, tumula-  
 to sinone candorem suscitavit, suppresso Theone, & Vati-  
 niò virtutem sublimavit. Nusquam emersura erat è tur-  
 bidò errorum oceano naufraga Europæ felicitas : nisi illam  
 ful-

(cc)  
 Virgil. Chri-  
 stian.

(dd)  
 Plin. denat.  
 hist. l. 31.

fulgentissima SALESII Lux circumfudisset, & scopulos detexit  
 set exitiales. Adèò luxit, & circumfulsit finitimam Gal-  
 liarum Regionem, ejusque Lilia noxiò funestata turbine, vi-  
 tiata uredine, primævo restituit Candori. Adèò luxit,  
 ac circumfulsit & Germaniæ Aquilis, Belgii Leonibus, (ee)  
 & Aquitanæ, ac Italiæ finibus, ut quidquid illic caliginis  
 id de profundis errorum umbris in lucem revocaret altissi-  
 mam. Adèò luxit, & circumfulsit & Sabaudia Laticla-  
 via, & Rhetiæ tuguria, & Burgundiæ pallatia, summa, & ima  
 lustrans, illisque profligatâ scelerum nocte diem invexit serenif-  
 simum. Luxit : bacchantiumq; (ff) tenebrionum, ferias dicam,  
 an inferias eliminavit, atque in poenitentiali cinerum urna  
 scintillam ostendit latentem, quæ subinde in magnum amo-  
 ris Theandrici excitata incendium, illis in ardentem, &  
 lucentem Liparam affurgeret. Luxit : & cæcutientes ad  
 Lumen veritatis noctuas, avernaliùm umbrarum stelliones,  
 funestos hæreseos (gg) bubones, radiò pro fulgure sidera-  
 vit ; imò & ultra furibundam Xerxis amentiam delirantes,  
 densaque telorum nube in se se temerè coniecta, solem ter-  
 ris an eripere, an impetere gestientes, vicit, suppressit,  
 profligavit. Solem nimirum SALESIIUM, mundi pupillam,  
 sagitta, si quæ ferire potest, seipsam incauta exoculat, re-  
 cidit in Authorem jaculum : ut Phoebus idem qui Pæan ne-  
 queat non connexa pangere epinicia, seipso cum Apolline  
 Pithonias loquens lauras. Neque in inermem efferati  
 inciderant Hesperugines : tot namque ejus tela, quot ra-  
 dii, quibus de noctis satellitio sol pharetratus triumphet.  
 Luxit : & ex filiis tenebrarum Bonnio Davulioque (hh)  
 succenturiatis tot Apostolico nisu enixus est lucis filios, pe-  
 ne dixerim *Pater Luminum* ; tot Domino discipulorum pepe-  
 rit millia (ii) hæreseon antehac uterò in abortum Erebi ef-  
 fundenda, quot in terris Servator degens Monades recen-  
 sebat. Et quidni luceret SALESIIUS, qui cœlesti succensus  
 ardore in orbis arferat emolumentum ? ipsa pene *charitas* : vertit hære-  
 nis quod DEUS sibi vendicat prædicatum, Ei qui totus  
 in DEO, DEUSque totus in Eo, subyereret attribuere.

(ee)  
 Ex vita di-  
 versis locis.

(ff)  
 Ex vita p.  
 4. c. 31

(gg)  
 Ex vita p.  
 3 c. 1.

(hh)  
 Ex vita p.  
 2. c. 1.

(ii)  
 Rayn. in ha-  
 giol. 72.  
 millia con-  
 tiorum,

(kk) Lud. Var-  
tomanus  
Rom.

In hęc portentum Pezæ Regis spectabatur Pyropus ; (kk) ita in tenebrarum radians excidium , ut Lucis clarissimæ in-  
veheret cum ortu meridiem ; Pretiosius Europæ spectacu-  
lum SALESIIUS ( Sol enim nonnullis lapis est ignitus ) qui non  
jam uni affixus climati , sed orbi facile universo in terrifi-  
cum stygiæ caliginis horrorem resplenderet fulgidissimus.  
(ll) Deliciæ Domitiani (ll) pellucidus Romæ visebatur Phengi-  
tes domesticos inter porticum locatus parietes : cujus re-  
splendentes radii , quidquid à tergo fieret , virtute refrin-  
gebant , & effugiabant speculari ; at splendidior ( nisi te-  
nuitate verecunda se se ipsam erubescat comparatio ) at  
splendidior phengite hoc SALESIIUS : in quo omnis virtutis for-  
ma , omnes in uno proximi relucebant. Pharon quin im-  
mò dixerim lucidissimam , quæ vel Andabatis in alta flagi-  
riorum nocte præiret oberrantibus , nè ullus per noctivagos  
Lucifugas fatuum ementitos Lumen incautus deciperetur.  
Quasquas demum plus quam Apelleus gratiæ Divinæ peni-  
cillus dotes effugiavit in SALESIO , has aded ex asse impendit  
proximo , ut eum in verum virtutis formaturus Ectypon ,  
Lumen de Lumine accenderet , ea jam in vivis tum agili-  
tate , tum claritate , tum penetrabilitate , tum impassibili-  
tate , quæ Lucis (mm) ac Beatorum quaternas imitatus  
dotes , totus & foret Ipse coelestis , & alios quoque coelestes  
ad amissim efformaret. Sole nimirum & Sale nihil utili-  
us (nn) peritissimus arcanorum naturæ discriminator collau-  
dat Plinius : duo hæc omnibus virtutis potentia aut domi-  
nantur , aut ancillantur in subsidium. Sic SALESIIUS ; nisi  
quod portenti simile ; Dum video SALESIIUM Lumen , dum  
libo Salem , cum nictante ad jubaris plenitudinem obtutu-  
& mens ipsa titubet in objecto. Lux hæc tam fulgida i-  
gnorat fecunditatem , mirum ! aded integritatis Angeli-  
cæ ! Sal hic tam universalis nescit sterilitatem , rarum !  
aded Charitatis Apostolicæ ! Sal iste siccis non exurit fer-  
voribus , quin liquidissimâ pietate diffuens salutaria fundat  
flumina è fonte vitali proflua. Lux ista non deatrat ar-  
doribus , nullam inurit flagranti maculam , quin immò suffulos

(um) S. Boniv. in  
4. Dist. 49.  
a. 2. q. 1.  
(nn) Plin. l. II.  
c. 9.

vitiorum atrox vultus , in candidum virtutis ebur ador-  
nat.

Ita non minus fulgore radiorum suorum in orbem di-  
vagari , quam sacrationibus eundem accendere flammis ful-  
gidissimus ardet diviniore Lucis Bootes ; non uno jam Fran-  
ciæ contentus horizonte , non uno Latii climate , non uno  
Genevæ æquatore , non uno Gratianopolis (oo) Apogæo ,  
non uno Taurini Tononive meridiano , non uno orbis hæ-  
mispherio ; sed totius universi , imò & quos Democritus  
somniabat , infinitorum orbium succendorum tenetur  
desiderio. Indè alata imitatus sidera præpeti cursus ve-  
locitate stadiorum commensurata myriadibus : alas in vo-  
tis (pp) habebat Præsul Apostolicus : quibus non jam ad  
orientis , occidentisque terminos , sed ad optatum quoque  
extra orbem Archimedis vestigium provolaret. Verum  
cum alarum destitueretur remigiò , affectus in universum  
assumpsit excurrentes , qui illatâ naturæ limitibus violentiâ  
sanguineis nivi impressis vestigiis (qq) majores internos o-  
stenderunt ardores , quam externi spargant luminis clarita-  
tem. Provehere ergo Divinissima Lux ! non ad eam dun-  
taxat ; quam Sol Castoris Pollucisque signa perambulans in  
Zodiaco attingit augem , sed ad ipsum altissimum Lucis o-  
mnis Principium , Divinitatem. Ego Stagyraei Peripati  
Principis innixus experientiâ ; nè supervacanea Salarii mei  
pulveris videatur compositio , salem faci aspergam assurgenti ,  
quò radiosior refulgeat universis. Et scite : Doctri-  
næ siquidem sale aspersa Lux SALESIANA , & in magno jam  
jam sublimata Sacerdotio nusquam ita latere poterat sub mo-  
dio , quin omnibus , qui in domo sunt , seu ut Anselmus , qui  
in orbe (rr) sunt , colluceret fulgidissima. Utque plures  
sui admirabundos nancisceretur Spectatores , etiam ab uni-  
bris (ss) ad lumen revocavit vitale , irrefragabile præconii  
sui , & à silentibus habitura suffragium. Sed enim quan-  
ta cum Luce claritudo , tanta cum Sale Apostolico , & pe-  
cudes inter ad brutalem hominum vitam sapore coelico re-  
stau-

(oo) Ex vita.

(pp) Ex vita.  
Labbe in  
Elog.

(qq) Ex vita p.  
2. c. 2.

Ariff. 23.  
probl.

(rr) S. Anselm.

(ss) Ex vita , &  
Rayn. in  
Hagiol.  
Lugd.

staurandam latendi, & diversandi promptitudo; Existimantes Solem illum magni Sacerdotii eminentem olympo in sublimibus alta columnis corruscare regia: & ecce! inter rudera hospitium em (tt) comperies, cujus radiosa virtus nec Augiâ inficitur, quam illustrat; nec spelæis obumbratur, quæ illuminat; nec mapalibus contaminatur, quæ irradiat.

(tt)  
Ex vita p.  
2. c. 2.

(un)  
S. Paschas.  
l. 3. in Mat.  
th.

*Luci adhaerentes* Paschasii præconiò Lux esse meruerunt. (uu) Quid tandem Claromontane Cynthie, quid inter saxorum rudera? quid montium inter convalliùmque operaris latibula Lux qualitatum omnium operosissima? quid ocelleris? Salem ad vestram excoquit salivam, vestroque suavem palatò, PP. RR. ! ut in tanta luce Illustris Episcopus, Antistes Celsissimus, etiam radiorum suorum vivacitate non supercilio solum, visuque humano, sed placità humilitate & gustui objiciatur Divino, & quidquid in sale urit, & quidquid exsiccat, & quidquid saporat, & quidquid stringit, & quidquid condit, & quidquid medetur, eà omnia fulgidissimo suo conjungat Lumini, uniat claritati. In Paulano enim receptaculo, si tamen lux universi Admeti aliàs gregem pascens cum Apolline, nunc Thaumaturgum Francisci de Paula Agnellum, si tamen aded coarctari potest, DEO soli notas, & amatas inquirat latebras: quò suorum fulgorem oculat, imò acuat radiorum; ut & Vobis speciosum conferat ornamentum Lucis, & de Vestris participet Salis prærogativis.

(xx)  
Ex Bulla  
Minim.

Est Sacerrima Maximi Patris Vestri quia Minimi, micis salis apprimè proficui, apprimè universalis tenuiter expressa familia Leoni X. *Cælum*: (xx) quid æthere purius? Paulo IV. *thesaurus*, terræ cimelion; quid in terra pretiosius? Innocentio VIII. *pupilla*, emicans frontis facula: quid igne utilius? Est Eugenio IV. *Corculum*, scaturigo omnis candoris: quid fonte limpidius? Mundum, mundique elementa continet, quem fugit. Hisque literatis præconiorum elementis copulata quaterna orbis elementa uno in sale Physiologis (yy) constricta, & in eo SALESIO saporem aspersere, quò alliceretur; Vobis ab eo nitorem, quò resulgeretis. Quid superest Sal Divinissime? nisi, ut nivis

(yy)  
Plin. l. II.  
c. 9.

adinstar, quàm thaboreò prodigiò soli unitam meminimus; jam in Sole, Lucis Oceano diffluas, totus in DEUM colliquefcens.

Lux est quædam purpurea magni ortus aurora, ad hanc jam SALESII erubescit sapientia, (zz) nè erubescat. Expetebant illum sibi sublimia Vaticani Senatùs culmina, purpurata Patrum subsellia: at SALESII Sol, quia affluit, totus hic in nihilum diffluit. *Conculcari ergo vis ab hominibus, ad nihilum valens ultra*, postquam omnibus omnia factus Sal Evangelice? Sublimia Eum vitæ serenioris, Sabaudia suspirante, sibi vendicabant fastigia: SALESIIUS, cum vitæ pedum pastorale magis, quàm principale elegerit, laborique campum, & gregem: jam ubi resolvatur in salum, quò omnes quasi aquæ dilabimur, tugurium eligit. (aaa) Et quò diffuat, sale jam meo, evanescente, nisi in mare Deitatis, in Luminis fontem, in immensum lucis principium? ut qui nascentis vocis fuit exordium, ille morienti Svadæ quidem supremus sit propriæ, sed non encomii, DEUS Epilogus. (bbb)

(zz)  
Ex vita p.  
4. c. 13.

(aaa)  
Ex vita p.  
5. c. 9.

(bbb)  
Ex vita p.  
5. c. 10.

Affulge jam non primæ solum inter magnitudinis sidera, verùm & Empyrios inter solem *septempliciter* (ccc) in se multiplicantes astrorum principes! depositoque, quod salta, sapientique sollicitudine incorruptum servasti, salis dicam, an SALESIANO corporis velamine, tantò serenior Lux mundi, Lux hodierna, tibi subjecto & in præsentiarum advoluto affulge universo Salei Sacratissime! Affulge adhuc Genevæ tuæ auspiciator Phosphorus! Affulge Ordini in Minimis Maximo Te illustranti, atque à Te uberius illustrato plenior meridies! Affulge Clientibus tuis in panegyrim venerabundam acervatis, felicitatis virtutumque omnium sidus verticale! Affulge Ecclesiæ universæ *sinè macula, sinè ruga*. (ddd) ab omni errorum, tenebrarumque caligine perpeliendæ solaris vindex, atque oppositæ Lunæ ottomanicæ, luminis verioris Antesignane, cornua ita protere: ut sacrariore & illa resplendeat *Sole Justitiæ* jam non sua, dum plenior! Omnes demum gratiarum tuarum radios circumfluentes Te lucis in Regione, Luci jam æternæ penitus immersum, novò tum beneficiò, tum

(ccc)  
Isaia 30.  
26.

(ddd)  
Ad Ephes.  
5. v. 27.

ho-

homagiō grati experiamur. Affulge non duntaxat cum Ber-  
 nardo Viennensium Præsule (ēēē) Sole Paludatus, non cum  
 Roberto iridibus illustratus: non cum Guidone fulgurante  
 comitatus columba: (fff) non cum Benedicto decedente  
 lampadibus coruscus: (ggg) Non cum Assinate stellis ad-  
 ornatus: sed speciali prærogativa, ita virtutem interius lu-  
 minosam exhibens, ut & millium Te comitantium, à Tequē  
 illustratorum, totidem solibus, quot lucrifactis coelo ele-  
 ctis circumfusus: Nè dum (hhh) *qui justificant multos*, (iii)  
*splendescunt ut sol, & tanquam luna, & sicut splendor firmamenti* suf-  
 fragante Cyrillo, unus Tibi Sol à me propè sine sale cir-  
 cumdatus, verum astra universa in æternaturam cedant me-  
 ritorum abollam.

(ēēē)  
 Joan. Bagat-  
 ta tom. 1. l.  
 l. c. 1. §. 2.  
 Idem ibid.  
 Id. tom. 2.  
 l. 6. §. 5.  
 (hhh)  
 Syrus.  
 (iii)  
 Cyrillus  
 Hierof. Ca-  
 tec. 8.

Vobis verò PP. RR. Auditorésque Lectissimi segre-  
 gatis jam inter sidera FRANCISCI Luce, & spiritu, Sal solus  
 in Lipsanis relictus est. Adhuc tamen Divinior ille ful-  
 gor promicantibus coelitus radiis, & Te Ordo Sacerrime  
 ita afficit, ut non jubare solum irradiet: verum & mutu-  
 ato salis effectu ad gustum virtutum trahat, & condiat:  
 quò illas, quas in Eo spectas fulgidas immerso Illius Lumini,  
 pupillo tuo lumine in Te agnoscas lapidas, dulcedine sua  
 palatum tuum, ambrosiā magis & nectare, pia tantorum  
 charismatum æmulatione. oblectantes. Et te Lycæum A-  
 cademicum, Jubari tanto aquilinè affectum, splendor iste  
 condit, atque ad mellissam prolicet orexym: ut ex Sala-  
 rio nitore & sapere *ad sobrietatem*, & exemplari virtute in-  
 escatum temet servare pergas ad animi, corporisque incor-  
 ruptionem. Hujus si ego lucis vel umbra fui, salisve mi-  
 ca: Sat mihi sapuisse, sat luxisse videor: si vel mi-  
 nimam Divo ad Lucem, vel tenu-  
 em Vobis ad gustum.

D I X I.